PROBLEMA
Theologicum proposi-
tum primò & dis-
ceptatum,

Dein scholastica determinatio-
ne fusiùs pertractatum & conclu-
sum, de natura, vsu, æquitate, & ne-
cessitate Subscriptionis doctri-
næ fidei, & ceremonijs, in
quaque Ecclesia
constitutis.

Per L T. *sacræ Theologiæ*
Doctorem.



LONDINI
Ex Officina H. L. *Impensis*
CLEMENTIS KNIGHT.
1607.



PROBLEMA

Theologicum propositum primò &disceptatum, dein scholastica determinatione fusiùs pertractatum & conclusum, de natura, vsu, æquitate, & necessitate Subscriptionis doctrinæ fidei, & ceremonijs, in quaq; Ecclesia constitutis.

Scribitur Matt.18.vers.17.

Dic Ecclesiæ: quòd si Ecclesiam non audiuerit, esto tibi veluti ethnicus & publicanus.



Vo ferè sunt ex hoc textu (quantum intelligo) inter Theologos maximè controuersa. Primum, quid Ecclesiæ nomine subindicari voluit hisce verbis Saluator tantoperè examinatis, & magna contentionum vi vtrinque regestis

 & re-

& retortis; Dic Ecclesiæ. *Alterum verò, de potestate Ecclesiastica, & obedientia eidem, omni iure debita, huiusq; cōtextus tam sono quàm sensu illigata, & pluribus inde argumentorum generibus mandata & conclusa:* Quòd si Ecclesiam non audiuerit, *id est neglexerit, contempserit, vel obedientiam Ecclesiæ omni iure debitam quoquo modo detrectauerit: (tantū enim ni fallor significat παρακούειν.) De priore sategerunt Prisci interpretes simul cum Modernis, qui frequentibus de sensu huiusce loci opinionum repugnātijs, ad inuicem contra euntes, nescio seipsos, an sacræ Scripturæ textum vexârunt magis. Romanenses cum tota ferè schola (quæ eisdem in disquisitionibus hisce suis indulgens nimis semper fuit, & in hoc argumento arbitror, si quo alio, protinus immancipata) quicquid hîc de Ecclesia dicitur, suæ iam meritô dictæ Synagogæ vēdicant, & prætoria quadam auctoritate arripiunt & assumunt; pro quibus etiamnum tota illa Sophistarum cohors tanquā pro aris & focis certare solet, & strenuè dimicare.*

Quos conspicati inter puriores & reformatas

formatas Ecclesias nonnulli, nec non inauditam & non ferendam arrogantiam & tyrannidem meritò criminantes, fastũ calcârunt, sed maiore reor quàm ille olim Platonis fastu: vnde nescio quo opinionis, quam sæpiùs confingere sibimet & comminisci summopere gliscunt & delectantur, (fatali sat scio) errore suo, ad Presbyterium nescio quod, aut quale Ecclesiæ huius, & in Ecclesiasticis (vt habent, & exponunt) omnibus auctoritatem omnimodam deuocandam iudicarunt & deuoluendam. Diogenes

Hunc errorem (qui postmodum in milleformem Schismaticorum amentiam & libertatem quiduis procudendi excreuit) genuit primô (quantum coniectura assequi possum) locorum quorundam (in quibus nonnunquam de Presbyteris & Presbyterio in sacra Scriptura mentio fit) peruersa interpretatio: dein Euangelicæ (quod ad externam politiam attinet) immediatè post Christum administrationis cum Senatu illo Iudaico vulgò per Sanedrin & Συνέδριον intellecto & nuncupato) iniquissima comparatio.

Tertiò, quia donec Christiani fierent

 summi

summi magistratus: Ecclesiæ plures sibimet plærunque de omnibus Ecclesiasticis transigendis relictæ, vel (quod facile tunc temporum euenire potuit) sub nullo ciuili Iudice constitutæ, Seniores quosdam, qui rebus omnibus tã ciuilibus forsitan, quàm Ecclesiasticis præessent & moderarentur, delegerunt, & sibi suisq; pro tempore præfecerunt. Quod etiamnum adhuc post cõcessos singulis ferè Ecclesijs summo Dei beneficio magistratus Christianos, (quibus de externa omni politia, siue in Ecclesia, siue in Repub. stabilienda post Deum duntaxat incumbit) nuperi Censores isti in omni benè formata Ecelesia, & iuxta formulam regni Christi (vt clamitant) in nouo Testamento præscriptam reformata, tanquam necessarium vrgent, & quarto (quod dicitur) modo proprium esse temerè asseuerarunt. Cuius tam vesanæ opinionis (quæ tot strages in Europæis pluribus Ecclesijs edidit) auctores fecerunt nonnulli Geneuenses quosdam Aristarchos: quorum quidem doctissimos, hunc locum & alios vbi de Ecclesia & Presbyteris mentio quandoq; fit, duriùs paulò & infœliciùs tractasse, quiuis æquus aut oculatus

culatus

culatus perspiciat. Georgius Cassander verò, satis peritus & idoneus harum rerum æstimator, in doctissimo illo de infantum Baptismo tractatu suo, ad nonnullos ex Anabaptistarum intra Germaniam suam familia, (qui postea Catharorum nomen, vt ipsissima eius verba habēt, inuenerunt) hoc quicquid est mali retulit & relegauit. Quod ad me attinet, quandoquidem de interpretationis argumēto hoc determinare aliquid, præsertim inter tot vndiq; opinionum differentias, meritò reformidem; nonnulla de primo hoc controuerso quàm breuissimè subiiciam tantùm, & ad secundum (quod nos impræsentiarū disceptandū suscepimus) festinabit oratio.

Georgius Cassander

Per Ecclesiam igitur in hoc loco potestatem illam omnem intelligi existimo, qua sub aliqua imperitandi formula quæuis Ecclesia gaudet fruiturq;: & quam iuxta leges eiusdem a Deo ipso, vel hominibus positas, tanquam necessarias aut salutares exercere solet & debet. Quod primò contextus huius scopus, & argumentum de correptione fraterna (quæ ad Ecclesiam propriè spectat) instituta, palam ostendūt. Secundò fratris vocabulum hoc idem asserit

Ecclia ... est quæ ... Spiritu Chr... et eo spiri... ducitur Rom 8 vsu 9 et 14

rit & arguit, quod inter homines ſacrorũ quorundam rituum & officiorum religioſa obſeruatione inter ſe coniunctos, ferè ſemper vſurpari, præſertim in ſcriptura ſolet. Tertiò, vocem Eccleſiæ (de qua iam agitur) ad ſacros plærunq́ conuentus referri legimus, in quibus inſuper de rebus ad diuinum cultum & mortaliũ ſalutem præcipuè ſpectantibus agebatur. Quartò perſonæ, quibus hoc officij de cauſarum in criminalibus cognitione tunc temporis demandabatur, Eccleſiaſticæ fuerunt, Sacerdotes nimirum, Scribæ & Phariſæi; quorum dictis monitiſq́ itidem auſcultandum eſſe mandauit Chriſtus, Mat. 23. qui ibidem in cathedra Moſis (qui & ipſe Sacerdos Pſalmo 99) conſediſſe dicuntur: quando iudices illi (de quibus Numer. 11) pro tribunali Moſis ius dicturi inter populum Iſraeliticum ſedere conſueuerunt. Vltimò, non alia vſpiam in toto tunc temporis terrarum orbe Eccleſia, quàm hæc Iudaica. Cui Saluator ipſe debitam præſtabat ſemper reuerentiam, adeoq́ contribules ſuos eandem priùs appellare, & omnimodas contentiones & cauſarum cognitiones ad iudices ibidem Eccleſiaſticos

deferre

deferre hoc loco iubet, quàm ad Romanorum tribunal (vbi cum Ethnicis & Publicanis iure experiri cõmuni, vt ita dicam, & Romano liberum & licitum erat omnibus) prouocarent: & proinde meritò vtramq; discriminauit in hoc textu Saluator ciuilem ab Ecclesiastica: vtpote quam (licet ascititijs Iudæorum ritibus & inuentis pluribus miserè deformatam) vel tantillũ lædere, aut in minutissima aliqua cæremonia violare Romani (vt non semel memorat Iosephus) magnoperè semper verebantur: quin à Deo positum semel non tolerârunt modò, (quod satis esset Iudæis ad Ecclesiastica sua omnia obeunda) sed & auctoritate imperatoria prolixè ornârunt & muniuerunt: quod de συνέδρίῳ nusquã legitur, nec vt à Romanis permitteretur aliquando à sano quopiam satis credo intelligitur;

Quicquid Erastus (cæterôquin doctissimus aculeos & acumen ad omnia ferè adhibens semper & apportans) in contrarium desudauit. Vnde & potestatem illam, quæ iam sub Deo pijsq; Principibus in quaq; Ecclesia Christiana obtinet & exercetur (penes quoscunq; tandem aut

qua-

qualeſcunq́; fuerit) optimè referre & ad viuum exprimere videtur, vtpote quam quiuis in ſuprema auctoritate cōſtitutus, ſiue Monarchicā, ſiue Democraticā, ſiue quam aliam publici ſui ſtatus rationibus conuenientem (quoad externam Politiam volo) in ſuis Eccleſijs, tutò ſtatuere poteſt, & confirmare debet. De qua etiā textus noſter (vti ab initio monuimus) data opera à Saluatore (ni fallor) inſtituitur, quatenus nimirum audiēda Eccleſia, & eiuſdem doctrinæ decretiſq́; ſubſcribēdum, quidque de illis ſentiendum, & quomodo tandē tractandi illi fuerint, qui Eccleſiaſticæ huic vbicunque conſtitutæ poteſtati obaudientes ſe aliquando exhiberent & opponerent. Quod ego argumentum hiſce temporibus ſatis vt opinor aptum (ſi non vnum illud ſolùm neceſſariū) ſuperiore anno hoc ipſo in loco exorſus & auſpicatus (quandoquidem terminare, imò vel proponere, & pertractare, præter afflictiſſimam valetudinem & temporum inprimis anguſtias, tot illa tempeſtate impediuerunt) tentabo denuo & (fauente Deo) propoſitum olim de ſubſcriptione problema altiùs repetere, & pro

virili

viriuli determinare tandem aggrediar. In quo negotio illud mihi cum C. Lucilio (de quo Orator libro de suo oratore secundo) commune reperio, quòd cum huiusmodi auditoribus subinde mihi agendũ fuit, qui vel minùs quàm ego velim, vel (quod æquè acerbum est, & molestum quandoq; magis) ampliùs multò, quàm ego senserim, de nostris faciant, & intelligãt. Quocirca exponam primò, quid per terminos nonnullos laxiores paulò (vt quibusdam videbantur) in quæstione illa de subscriptione positos à nobis & vsurpatos intelligi velim, & ab omnibus summopere cupiam. Secundò, testimonia quædam adducam, & exempla obedientiæ huius, quam requirimus, per subscriptionem, vel alio quouis modo declarandæ, aut consignandæ antiquitatem & æquitatem repetentia & declarantia. Tertiò, rationes proferam, & adiungã, partim à Scripturis quibusdam rem hanc de subscriptione & obedientia omni tam Ecclesiastica quàm ciuili explicantibus desumptas; & partim à natura, causis & effectis rei ipsius petitas & delibatas, vsum eiusdem & summam necessitatem coarguẽtibus & demonstrantibus: quibus

quibus etiamnum fretus ego, & vtcunq; instructus hoc quicquid est defensionis tam nouæ (vt quibusdam videbatur) & insolentis pro subscriptione doctrinæ fidei, & Ceremonijs in quaq; Ecclesia constitutis, in me susceperim. Quartò, & vltimò obiectamentis nonnullorum satis in hac causa frequentibus (quod omnes norunt) & multiplicibus responsiones adhibere conabor. Quod ad primum attinet, doctrinam fidei & Ecclesiam quasi reciprocas ego voces & planè conuertibiles esse statuo. Neque enim doctrina hæc fidei (quæ alibi analogia fidei, verba fidei, typus doctrinæ sanæ, salubrium verborum forma, & vnicum illud à Christo & Apostolis depositum nuncupari solet, & alibi in sacra pagina huiusmodi titulis expressa & insignita) alicubi audiri solet, & obtinere, quàm in Ecclesia; quæ verè columna illa est, cui incisa est omnis veritas, & insculpta doctrina quæq; fide digna. Neque vicissim vspiam Ecclesia, quin ibidem doctrina hæc fidei (vt appellamus) pura puta retinetur & conseruatur. Sic enim ipsa veritas, Oues meæ vocem meam audiunt. *Quæ alibi,*

alibi, nec tamen aliter, de Ecclesia super doctrina hac fidei fundatur: Qui vos audit me audit. *Nec peribit lex à veris Dei sacerdotibus vnquam. Solum enim verbum Christi (cuius summa & quinta quasi essentia doctrina hac fidei continetur) Ecclesiæ constituentium esse (vt ita loquar) & eandem verè informare validum & sufficiens omnes largientur.*

Per doctrinā fidei igitur in defensione nostra, illa omnia intellige Ecclesiæ cuiusq; dogmata, quæ regulis fidei & morum summis illis credendorum & agendorum (quæ vulgò ἀναλογία πίστεως *ex* 12. *ad Romanos* συνεκδοχικῶς *perhiberi solent) conclusis & comprehensis nullatenùs repugnare deprehendantur. Quia idoneo satis, pio etiamnum, & maximè, vtcunque benigno charitatis aliquo sensu & iudicio (humana pro humanis, & omnia in meliorem partē semper accipientis) intra regulas illas prædictas concludi possunt, aut quoquo modo reuocari.*

fidei proportio

Iuxta regulas de Scripturis interpretandis, & positiuis (vt loquuntur) Theologiæ dogmatibus definiendis & determi-

nandis

nandis ab Augustino & alijs pijs patribus (quos recentiores omnes meritò insequũtur) traditas & præscriptas (vti verba etiam subscriptionis nostræ apertè habẽt: Dum nihil Deo cõtrarium (id est doctrinæ fidei & morum, quibus omnis pietas & iustitia continetur) nostra alicubi continere tantopere vrgetur & contenditur. Nec aliud prorsus sonant aut loquuntur tam infensa pluribus & malè accepta illa paucula; Nihil contra Deum aut Scripturam: *Sensu enim non sono mensuranda fidei doctrina hæc; neque in verborum folijs, sed radice rationis Scripturæ veritas, vt Hyeronimus. Qui idem ad quartũ caput primæ ad Timotheum, verba hæc fidei vocat, quæ nos doctrinã fidei in problemate & defensione nostra; & in hunc modum definit:* Verba fidei sunt traditio Symboli; bona verò doctrina, qua vita instituitur Christiana. *Et Paulus ipse finem & summam omnium eandem facit prima ad Timoth. primo, versu quarto.* Finis (*inquiens*) mandati est charitas de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta aut falsa; παραχαταθήκην *alibi vocans; quod depositum*

quasi

quaſi Dei, Paulo cum Apoſtolis reliquis concreditũ ad omnes vſq; Eccleſias tranſmittendũ, & ab eiſdem, dum Eccleſiæ fuerint, ſumma religione conſeruandum, interpretari poſſis, quam tantopere ſuo Timotheo commendauit, & (ac ſi de alijs minùs eſſet ſollicitus) toties vrgebat atq; inculcabat Apoſtolus, Serua depoſitum. *Quibus ſemel rectè poſitis, & in quauis Eccleſia conſtitutis: quæcunque porrò ſanxerint aut definiuerint de rebus vtcunque dubijs, & maximè controuerſis, Eccleſiæ cuiuſuis moderatores, ſiue in Scripturarum quarundam (pro ſuis quique tẽporibus) approbatione, tralatione, lectione, interpretatione, ſiue in locorum aut capitũ nonnullorum in re Theologica dubiorum, & variè à varijs acceptorum & expoſitorum definitionibus & differentijs: ſiue demum in Cæremoniarũ varietate & numero eccleſiæ cuilibet maximè conuenientium illa fuerint: non eſt quod quiſpiam aſſenſum hiſce aut huiuſmodi aliquandiu cohibeat, aut mentẽ manumque eiſdẽ addere, & penitus accomodare quicquam reformidet. Secundò Eccleſiã eſſe volumus, verã & Catholicam, apud quam*

1. Timot. cap. 6. ver. 20.

Quid de rebus medijs adiaphoris seu indifferentibus censendum est.

Quid etiam de Ceremonijs

quã sanctio hæc, & subscribendi formulæ debitam obedientiã contestantes valere, debeant, & vigere; quod & doctrina illa fidei (quam supra posuimus) satis arguit & demonstrat. Siquidem ea olim fuit, & semper esse debet veræ Ecclesiæ (qualiscunque tandem) apud omnes potestas & auctoritas tanta, tam sancta, & augusta, vt post doctrinam illam fidei (quam idcirco data opera iure præmisimus, & à Dei ipsius voce in Scriptura sacra duntaxat audita & expressa, & per regulas illas semper examinanda pendere semper volumus; nec aliunde vspiam petendam aliquando iudicauimus) ad omnia deinceps, quæ doctrinam, mores aut ceremonias cuique Ecclesiæ accommodatas, salutares, vtiles, aut necessarias spectare possunt: per se valere, & vbique terrarum obtinere debeat. Tertiò, per ceremonias in quaque Ecclesia constitutas, illa omnia significari velim, quæ ad externũ Dei cultum, vel disciplinam Ecclesiasticam publicè administrandam à quauis Ecclesia (modò non contra regulas prædictas) excogitantur & constituuntur: quorum omnium normam, & propriam quasi formam

Ceremonia

mam esse statuo constitutionem talem. In quibus vti in particularibus multis ad doctrinam fidei spectantibus (quæ à scholasticis gnomica, & à patribus dogmatica nuncupantur) licèt apud singulas quasq; Ecclesias, pro mensura spiritus & circumstantiarum ratione, mira subinde varietas & opinionum inter se repugnantia, quandoq; & diuersitas : addo & infirmitas absque manifesto peccato, in nonnullis aliquando appareat: Ambrosij tamen illud matri Augustini; & Augustini vicissim paulò fusiùs Ianuario in notissima illa centesima decima octaua epist. inter epistolas Augustini semper obtinebit; & satis Theologicum ab omnibus habetur : Cùm fueris Romæ, Mediolani, aut in alia quauis Ecclesia te esse contigerit, viuito *(quidni etiam & in nonnullis sapito)* more loci.

Quod enim sanctum, solenne, & salutare in vna Ecclesia perspicitur, vtpote non mandatum solùm, sed longo vsu receptum, & continuatum; in alia infestum, adeoq; impiũ, & toti Ecclesiæ quandoq; fatale esse potest, & vsu venire solet. Nec satis mirari possum infirmitatem po-

 tiùs

tiùs credo, quàm inscitiam, aût contumaciam nonnullorum inter nos, qui doctrinam Ecclesiæ Anglicanæ articulis illis fidei (vt vulgò perhibentur) comprehensam, & expressam ad vnum omnes ambabus quasi vlnis amplexi, nec de minima in eisdem particula quicquam hæsitantes, contra tam multa tamen in Ecclesia nostra à magistratibus posita & vsurpata, nihilominùs clanculum obmurmurare, & palam vociferari non desistunt. Quotusquisq; enim (cui satis sanum sinciput) dubitauerit quicquam de ceremonijs nostris, siue in quacunque Ecclesia alia vsurpari solitis, numquid piæ, aut in seipsis (quia de scandalo, & cæteris extra rem ipsam (vt dicimus) alia habenda est ratio, & responsio deinceps adhibenda) vtiles, salutares, necessariæue fuerint, siue ad ædificationem, siue ad ordinem, ornatum, et decorum institutæ: quando omnimodam fidei doctrinam (quæ etiam satis procul dubio c uet, & determinat de Ceremonijs) omnibus constat (nec aduersarij quicquã reluctantur) piam, sanctam & omnibus suis numeris perfectam esse & absolutam, adeóq; subscriptionem eisdem æq; atq; doctrinæ

ctrinæ fidei tutò exigi & adhiberi posse quis denegauerit.

Quod clarius adhuc apparebit (spero) per exempla, quæ superiores quoslibet subscriptionem hanc, & iusiurandum etiam ab inferioribus, & sub potestate sua positis, aliquando pro arbitratu suo exegisse clamant. Etenim cùm tria ferè sunt (vt Iuristæ benè obseruant) confirmationum genera; per promissa seu suffragia, subscriptiones, & iusiurandum, hæc omnia etiam in Religionis negotio vsitata fuisse apud omnes satis constat.

Exempla subscriptionis. Tria confirmationum genera via 1 suffragium 2 subscriptio 3 iusiurandum

Primò enim, Deus ipse omnis politiæ, ordinis, & pacis author, non solùm suffragia accepit populi sui, affatim obedientiam omnibus mandatis eius promittentia, Deut. 5. ver. 27. Audiemus & faciemus: *Sed per Moysen Deut. 27. per subscriptiones in* Amen *vocabulo toties ibidem repetito, diris se imprecationibus obstringit totus populus, & omnia præstituros subscribunt vna voce vniuersi, quæ Deus per Moysen iusserit aliquando. Sic enim August. in sermone ad Infantes,* Mysteria Domini accipitis, *ad quod estis,* Amen respondetis, & respondendo subscribitis:

tis: *Iehoshuah itidem cap.24.ver.24,25, 26. post confessionem & frequentia populi suffragia, subscriptionem adiunxit ver. 26. Et in futuram rei perpetuam memoriam, lapidem delegit, & in ipso Dei sanctuario erexit & reliquit.*

Cui non absimile est illud quod Polydorus Virgilius de Regibus Angliæ, libro de rerum inuentoribus quarto, cap. 12. scriptum reliquit: Silicem (*inquiens*) tenebant iuraturi per Iouem, se religionem & ritus patrios retenturos, hæc verba loquentes. Si sciens fallo, tunc me Diespiter salua vrbe arcéque bonis omnibus eiiciat. *Hunc fere morem Pontifices nostri (vt Polydorus paulò infrà subdit) Reges, Sacerdotes, Prælati & Præfecti obseruant, & iurant antequam ad ea munera admittantur. Nec dubito quin pientissimus noster & prudentissimus Iacobus hoc idem (quod quibusdam hac tempestate vrgendũ mandat & curat) in propria sua & longe excellentissima persona hoc modo præstitit. Quemadmodum doctissimus & iurisperitissimus Cokus noster in nuperis Relationibus suis (quæ de iure Regis Ecclesiastico*

in-

inſcribuntur) de Regibus Angliæ paſſim adnotat, præſertim verò paginis decima octaua & viceſima nominatim à Rege Eduardo eius nominis tertio, non ſemel præſtitum fuiſſe affirmat. Necnon tam à peregrinis, quàm indigenis ſubinde (prout magiſtratibus viſum erat) exigebatur ſubſcriptio hæc, vt idem refert pagina 27. Relationum ſuarum. Temporibus Regis Eduardi eius nominis quarti, de duobus ipſius Papæ legatis Calitium venientibus, & in Angliam poſtmodum traiicere cupientibus, poteſtas illis facta priùs non erat, donec iuſiurandum adhibuiſſent, ſe nihil contra Regem vel ſtatũ publicum machinaturos. *Quod idẽ Venetijs (vbi maxima, vt omnes norunt, conceſſa ſemper fuit libertas) ſumma religione in hunc vſq; diem obſeruari notauit Bodinus; & pauci credo, qui myſteria hæc relegerunt, ſunt neſcij. Nota ſunt omnibus Sacramenta militaria, quorum formulam ex Polybio Lipſius deſcribit libro primo de Romana militia dialogo ſexto; & ex Vegetio, quiuis ediſcere plenius poterit, necnon Cornelio Tacito Annalium libro primo,*

Cornelius Tacitus

 capite

capite nono. Qui idem libri quarti capite nono Apudium Murænam memorat de ſenatoria ſua dignitate fuiſſe deiectum, quia legibus Auguſti iurare & ſubſcribere recuſauerat. Refert Ortelius ſubſcriptionis et iuramenti formulam ſuſceptam ab omnibus, qui in ordinem militum (vt perhibebantur olim Altaris, Templi, & Sepulchri (vti iam Periſcelidis, ſancti Michaelis &c.) quo ſe obſtrinxerunt Chriſtianā Religionem contra Turcas & Saracenos deinceps ſemper propugnaturos: extat in Commentariȷs ſuis ad deſcriptionem terræ ſanctæ, quam è peregrinationibus Idoci Megenni citat, & mutuatam eſſe fatetur. Sed redeo ad Scripturam. Ioſias Chron. ſecundo, cap. 34. ver. 32. ſigillatim ſingulos, qui inuenti ſunt in Ieruſhalaimis & Beniamine adegit ad conſignandam profeſſionem hanc: &, vt vetus interpres cum Hieronymo habet, adiurat, vt omnia facerent, & (vt verba ſunt) conſtanter perſeuerarent iuxta fœdus initum priùs per Regem & totum populum; & confirmatum ver. 3. frequētibus ſuffragiȷs, ſubſcriptionibus, & iuramentis. Sed omniū celeberrimum

est

est illud Nehemiæ cap.10. ver.28. & 29. vbi (more, qui in Parliamentis nostris per alios communi consensu in hoc idem electos, vt suis nominibus, & totius congregationis subscriberent (omnes accessisse dicuntur ad anathema & Iusiurandum: simul vouentes se præstituros omnia primitùs descripta & proposita; & deuouentes, si quicquã facerent aut tentarent contra mandata Dei & Nehemiæ. Sicut olim Iehoshuæ primo ver.17. conclamârunt vniuersi, Sicut obediuimus in cunctis Mosi, ita obediemus & tibi. (Et notatu dignum quoque est, quod idem Nehemias cap.13.ver.24. execratus est omnes, qui partim Iudaice, & partim Azoticè, vel pronunciarunt tantùm, & alienigenas omnes cum Eliashibo & Tobia à domo Dei longissimè ablegauit.) Nec minus celebre est illud, & ad rem nostram accommodatius paulò, quod de σεισάχθεια illa, idem suo duntaxat nomine, & regia fretus auctoritate, præstitit capitis quinti, ver.11. & 12. vbi vocatis Sacerdotibus omnes coram iurare coegit, se facturos iuxta decretum regis, & ver.13. fecisse ita totam congregationem,

N. Nehimia 10 v. 28 2

Iehosua

 adhibita

adhibita confirmationis & ſubſcriptionis illa vſitatiſſima vſque in hunc diem vocula, Amen, Amen. *Infinitus eſſe poſſim in hac exemplorum enumeratione & congerie; cogor per capita tantùm rerum & hiſtoriarum tranſire. Legantur Concilia, & penitiſſimorum principum acta & decreta hac in parte obſeruentur; pauca proponam.*

In Concilio Romano primo (& ſimiliter ad calcem Elibertini, & plurium aliorum tale quidpiam obſeruare obuium) ducenti octoginta quatuor Preſbyteri & Diaconi, & quinquaginta ſeptem Epiſcopi ſubſcripſerunt, vt in verbis Conciliorum habetur. Quo tempore Conſtantinus cum matre Helena, & Calphurinus præfectus vrbis vnâ ſubſcripſerunt: quem eundem Conſtantinum Euſebius in eius vita multis Synodis interfuiſſe denarrat, & propria manu cum reliquis Epiſcopis damnâſſe Arrium, & pacem inter nonnullos conciliâſſe, & in omnibus (quoad fieri potuit) hoc modo ſtabiliuiſſe. Cuius veſtigiis inſiſtens Conſtantius, teſte Socrate libro 2. cap. 37. (licèt paulò inflexis, & ſubdolè per Arrianos

farragine

subscriptio

rianos quosdam detortis) in Concilio Ariminensi quadringentos Episcopos subscribere coegit confessioni fidei, in eodem Concilio propositæ & approbatæ. Extant etiam Synodus Ephesina, & Concilium illud Toletanum, in quibus iubentur omnes, qui adfuerant, Episcopi cum Presbyteris & Diaconis subscribere. Ad extremum (vt illas Geneuensium, & Francfordiæ aliquando propositas & vsitatas subscriptionum formulas omittam, & de libro Concordiæ à doctissimo haud ita pridem Bucero inprimis composito, & Zanchio, Bezæ, reliquisque è viciniis proposito, & ab eisdem approbato nihil dicam, (in cuius examine Bellarminus octingentos simul subscripsisse fatetur inter Lutheranos; sed apud eos 10000, si adigerentur, hoc idem præstituros gloriatur) aut de Harmonia illa confessionum tam celebri, & in hac ipsa Academia nostra excusa denuô & impressa nihil adiungam, illud addam tantùm de Concilio Niceno primo: in quo trecenti viginti octo subscripserunt doctrinæ fidei, simul & illæ ceremoniæ de flectendo inter precandum genua,

(de

(de qua etiam inter nos (prôh dolor) hodierno die tot oppositiones & repugnantiæ) & symbola cum manuum credo coacervatione, & sigillorum appositione addiderunt. Cui illud Nicephori non omittendum, sed omnium lectione & relectione dignum mirè quadrat, & respondet, libro 15. cap. 25. vbi totam Synodum cum Episcopis & presbyteris Dioscorum damnantibus conclamâsse scribit: Nolumus Ægyptium, Dioscorum nolumus, Cyrillo subscripsimus, &c. *Ex quibus omnibus satis constat subscriptionem hanc, neque nouam esse, neque iniquam, nedum vt pro placitis quorundam quiduis comminisci & euulgare nullatenùs dubitantium, inuentũ primum credatur integerrimi illius doctiss. & prudentissimi præsulis verè Iehoiadæ & Iehoshua Anglicani. Sed ad rationes festino, vel potiùs rationum quasdam abbreuiaturas: loca scripturæ præter hunc (quem in manibus habemus) proponam tria: Ecclesiastis 8. ver. 2, 3, 4.* Caue sîs obserues os regis, *&c.* nec recedas à facie eius: *& in secundæ ad Thess. cap. 3. ver. 14. & ad Heb. cap. 13. ver. 17. Ex quibus omnibus &*

singu-

singulis patet, salutaribus regum præceptis, & sub eisdem tam Ecclesiarum præpositis, & dictis decretísque eorum auscultandum & obtemperandum esse, quàm reliquis in auctoritate legitima constitutis; idq́ (vt sequentia euincunt) propter iuramentum Dei, *vt verba Eccles. habent: Quod Paulus, credo, ad Rom.* 13. propter conscientiam *vocat: & ipsi Geneuenses in annotationibus suis, ad hunc Ecclesiastis locum: idcirco obseruandum omni reuerentia os regis animaduerterunt: quia (vt aliam versus partem cõnectunt, & ante eos omnes, maximè idonei & fœlicissimi interpretes) iureiurando se sic facturos obstrinxerant. Quinimò vt textus noster apertè loquitur, in turbidis maximè temporibus, & profligatissimis superintendentium moribus (qualia obseruabantur omnia dum summam rerum ecclesiasticarũ inprimis impurissimi tenebant Sacerdotes) qui non solùm externam politiam innumeris penè corruptelis opplêrunt, & deformârũt; sed & (vt Mat. 5.) doctrinam fidei putidissimis eorum commentis (vehementer obscurârunt, & turpiter mutilârunt) omnimodã Ecclesiæ*

huic

huic obedientiam abſque grauiſſimi peccati conſcientia neminem detrectare potuiſſe Saluator ipſe concluſit.

Sed res ipſa pro ſeipſa & veritate hac ſatis loquitur. Imò ipſa nomina eandem deſignantia: vtpote ſubſcriptionis, ſuffragationis, ſubſignationis, à Nicephoro, Euſebio, Melancthone, & alijs vſurpata, vnitatem, pacem, & in omnibus concordiam ſpirantia, promittentia, & quoquo tempore affatim producentia, conoinunt optimè cũ illo Dauidico: Ecce quàm bonum & quàm iucundum (*addo ego pari conſequentia, pium, iuſtum, & neceſſariũ*) habitare, *& in omnibus (quoad fieri aliquo modo poſſit) mente & manu, & toto (quod aiunt) corpore conuenire,* fratres in vnũ. *Sic Ariſtoteles vnum verum bonum & piũ conuertibilia facit, Metaphyſ. lib. 4 cap. 6. & in magnis Moralibus lib. 1. cap.*

Quod piũ ſit ſubſcribere.

34. Secundò, pium ſimul & iuſtũ arguitur hoc modo ſubſcribere, & Eccleſiæ huiuſmodi decretis omnibus obtemperare, ipſius Dei reſpectu, qui ipſe vnus, & vna ſemper ratione coli ſe mandat, & delectatur; & vnitatem hanc (præſertim in rebus ad ſui cultum pertinentibus) omnibus commendat,

dat, ad Ephesios 4. *& mandat seuerè, Exod.* 12. *ver.* 49. Vnica lex sit omnibus indigenis & peregrinis. *Quæ etiam primi præcepti, & omnium in Deut. & alibi eiusdem commentariorum scopus est & summa. Quemadmodũ apud Moysen varios in religione ritus, & modos à seipsis adinuentos, vel ab alijs quibuscunq; edoctos aut acceptos cumprimis dãnat: quod insuper in causa fuisse reor, quòd tam districtè de circumcisione & ritibus illis paschalibus ab omnibus tam peregrinis quàm indigenis sub vna formula peragẽdis cautum: & tam seuerè in delinquentes animaduersum. Quod enim Anaxagoras de Deo, hîc etiã valet de doctrina fidei & ceremonijs;* discite plures, discite nullum. *Nobilẽ quandã fœminã, Pomponiã Græcinam nomine, refert Tacitus nouæ cuiusdam religionis ream, in iudiciũ idcirco vocatam & damnatam, lib.* 3. *cap.* 7. *Tertiò, respectu totius politiæ (quam omnes omnibus pietatis officijs prosequi tenentur, & quam tum demũ dilaudat, & beatam prædicat Regius propheta, quando ciuitas hoc modo in seipsa compacta est (vt verba Hebraica sonant) & in religio-*

nis

Quod iustum.

nis negotio omni coagmentata; eoq́ potissimùm externo (vt scopus, historia, & contextus arguunt) coniunctissima: sic enim sequitur versu 5. omnes vnâ tribus, & vt alius propheta vno quasi humero, & alibi, tanquam homo vnus ascendunt ad cultũ Deo præstandũ, quod Politici omnes diligenter semper obseruârunt: nec quicquã ab illis magis infestum & inimicum alicui imperitandi formulæ est deprehensum, quàm quod accidit Iudicum temporibus: quemlibet (vel tantillum) facere in religionis præsertim negotio, quod rectũ videbatur in oculis suis: neq; peiùs aliquid cessit Iudaicæ Politiæ aliquando, quàm cùm Salomon & alij plures sustinuerunt religiones, & Achazus tam altaris quàm rerum procul dubiò aliarum nouas & inusitatas formas cum Vria Sacerdote inducere satagebat, & indies moliebatur. Ad quod deniq; argumentũ hoc, omnes Disquisitiones de associatione (vt appellat) in religione facilè adiungi & comportari possint: quandoquidem, non minùs credo periculosum esse varietatem vel minimam in externis hisce & ceremonijs, quàm in religione ipsa tolerare. Quæ

2. Reg. ca. 16. v. 10, 11.

postrema

postrema vtraq; vtinam postrema hæc tempora non comprobarent, & testarentur. Quartò, respectu magistratus tam ciuilis quàm Ecclesiastici, & potissimùm summi illius (rebus vtcunque alicubi constitutis) qui idcirco vtriusq; tabulæ (quibus omnis pietatis, & iustitiæ ratio continetur) custos meritò perhibetur; & proinde Deut. 17. ver. 18. Summus ille Legem à Sacerdotibus descriptam sumere iubetur, ad cuius normam omnia in religionis præsertim negotio administrare debeat. Sic Numa magnus ille religionis inter Ethnicos auctor, & ceremoniarum magister (vt refert Plutarchus, sed pleniùs ad rem nostram Liuius Dec. 1. lib. 2. pag. 25. Ne quid diuini iuris, vel patrios ritus negligendo, vel peregrinos asciscendo mutaretur, Pontificem elegit, eiq; sacra omnia exscripta exsignataq; tribuit, cæteráque omnia publica priuataq; sacra Pontificis scitis subiecit. Quod idem Iehoshaphatum tanto zelo correptũ & incensum factitâsse constat, dum Amariæ subiecit omnia, quæ ad res Dei (vt textus habet 2. Chro. cap. 19. ver. 11) aliquo modo spectarent. Sic & Paulus (qui pro tẽ-

pore

pore (donec Christiani constituerentur magistratus) vtrunq; proculdubiò gestauit gladium, cum reliquis, quos Deus ipse immediatè, uel postea populus in magistratus ecclesiasticos & ciuiles asciuit & suffecit) formam sanæ doctrinæ (quam παρακαταθήκην & depositum quasi suum solet appellare) non semel memorat, & cuique Ecclesiæ commendat. Nec minùs multus est Timotheo suo & Tito, Paulus (in summa per seipsum auctoritate Ecclesiastica & ciuili, etiam in aliquibus constitutis) vt omnia iuxta eandem administrari curent; nec permittant alicubi *nouas, vanas, variásue doctrinarum formulas aliquas ab eadem formula vel tantillùm recedentes aut discrepantes: Et qui secus fecerint, os illis obstruendum, imò anathemati deuouendos, ad Galat. 1. imò ne vel salutatione dignos, cum eodem Iohannes censuit illos omnes, qui doctrinam hanc fidei non afferrent. Et specialiùs paulò alibi idem Paulus Corinthijs in mandatis pluribus dedit; vt vnum idemq; omnes sentiant & loquantur, quoad doctrinam fidei, cap. 1. & 3. & faciant obseruentq; in ceremonijs, & externæ politiæ minimis

* ἑτεροδιδασκαλίας, Κενοφωνίας, Καινοφωνίας, vt in epist. ad Timot. & Titum Apostolus.

2. epist. Iohan. v. 10.

Epist. 1. ad Corinth. cap. 1. ver. 10.

minimis quibusq; circumstantijs (quas vsus forsan, & consuetudo proprias in quibusdam Ecclesijs fecerunt, & peculiares) ca. 11. & 14. eiusdē Epistolæ. Quod demū apud August. Retracta. lib. 2. ca. 48. & alios tunc temporis inualuit, & ab omnibus receptum obtinuit tandem, & percrebuit, vt magistratus non solum posset, sed deberet ad fidem cogere: multò magis ad obedientiam, externis alijs quibuscunq; renitentes quosq; & resistentes. Quintò, respectu popularium & subditorum, pium, iustissimum, & tutissimum esse censebitur: quibus hoc modo de multis in religionis Arcanis & varijs administrationibus optimè consultum erit, ne relinquantur (vt aliquando misertus est eorum Saluator, Mat. 9.) tanquam oues sine Pastore, *deuij, ignari, & errantes, milleformes ad religionem meditantes vias, & ineuntes rationes. Qui etiam hoc modo (dum omnes vna eademq; in religione, via, & gradu, rectoq; pede incedere à magistratu per subscriptionem vrgentur) non solùm varias pro ingenio superstitionum potiùs, quàm veræ alicuius religionis formas & ritus comminisci indies & procudere de-*

 sinent

Math. 9. v. 36 & Mark. 6. v. 34

sinent & desistent; sed & mysteria religionis bene multa, & varios sacrarum administrationum fines & rationes faciliùs ediscant & intelligant. Nec dubito, quin si maturè ac tempestiuè subscriptionis hoc remedium infirmis pluribus (qui iam de medicina ægrotant) adhiberetur, multis iampridem incommodis tanquam venientibus, imò instantibus morbis obsisteretur, aut faciliùs saltem multò occurri posset. Et qui iam tam ex ima plebe, quàm sacerdotali nostra familia, Errones, Turbones, Refractarij, & tantùm non rebelles vbique grassantur & recurrunt, informari, reformari, & ad meliorem frugem reuocari se paterentur. Sextò, simplicem (vt loquuntur scholæ) quintum præceptum ab inferioribus omnibus obedientiam exigit, & magistratibus quibuscunq; debitum ostendit in omnibus, quæ doctrinam fidei neutiquam reuellant, vel tantillùm læserint; & limites præscriptos illos neutiquā transiliunt: de quibus illud Apostolorū traditur, Act.4. Deo nō homini, *&c. & Mat.15.v.9. illud oppositū, frustrà ab illis coli Deum, qui suas quasuis doctrinas voci huic Dei aliquo modo contra-*

rias

rias proferre audeant: alioqui inferiorũ omnium esse, mandatum hoc docet & requirit, non disputare, sed parêre & credere, vt Alexander, Durandus, & tota schola concludit; vti 13. ad Heb. v. 17. generale est præceptũ præpositis Ecclesiarũ, vt in omnibus obtemperemus. Et quidem pius hic, si vspiam error, & tam verũ illud quàm vetus autumo, satius esse cum superioribus & magistratibus in rebus dubÿs, arduis, controuersis, aut quoquò modo adiaphoris errare, quàm cum inferioris plebeculæ tota multitudine, aut Schismaticorum natione rectè sentire. Quin & hoc idem vox naturæ confirmat, Est. 1. vers. 22. vt quisque suis & domi suæ dominetur, sic Ecclesiastici in Ecclesia, & apud Aristotelem Polit. 1. hoc idem habetur: nec aliud vniuersalis illa Iustitia, omnes ciuitates, municipia, Academias, duces in bello, imò latrones ipsos (quibus sua quæq; sunt regna) edocuit (vt August. de Ciuitate Dei, lib. 4. capit. 6.) per Sacramenta militaria & tesseras, quas vocant hospitales (quæ subscriptionis huius & debitæ obedientiæ præclaræ sunt formulæ

 & ex-

& exempla) sic sua omnia in vnitate, pace, & fœlicitate tueri & conseruare. Quando absq; subscriptione hac particularis quoq; Iustitia (quæ suum cuiq; tam inferioribus quàm superioribus hoc modo optimè curat reddi) nusquam in aliqua societate consisteret; sed Nomadum planè esset vita, vbi οὐδεὶς ἔχει οὐδὲν οὐδενὸς, & iuxta oraculum illud (à Valerio Maximo memoratum) nobilis Romani, tum demum exitum fore & finem illius imperij vaticinantis, quando omni spreta iustitia parêre & imperare neglexerint & recusârint. Quòd necessarium. *Porrò necessitatē subscriptionis huius nequaquam pauciora arguunt & confirmant, & specialia quædam hoc idem clariùs ante oculos omnium ponunt & demonstrant; quorum primum erit vetus illud Theologorum simul & politicorum argumentum, à magno illo Philippo, doctissimo, integerrimo, & pientissimo Theologo non semel vsurpatum, quod hoc modo componitur:* Iudicium sine auctoritate est inutile: cognitio in Synodo est summum Iudicium: ergo parêre est necesse: *quod in vera Ecclesia (vbi doctrina fidei pura retinetur) semper valet:*

quorsum

quorsum enim aliter conuenirent Doctores, vt non semel Melancthon ad hoc argumentum. Secundò, tot & tanta mala, quæ tam in Ecclesia quàm in alijs societatibus quibuscunq; ob vel minimam, & leuissimam (in sacris præcipuè) dissensionem, & dissonantiam obuenire solent, non alio modo tolli, aut eisdem citiùs & opportuniùs occurri potest, quàm per subscriptionem hanc. Quod exempla ὁμοιούσιον *pro* ὁμούσιον *(vnde tantæ tragœdiæ in omnibus ferè Ecclesijs excitatæ, vt totus orbis inde ingemisceret) & vnico* Darier *vocabulo perperam inter Oddos accepto, & non satis intellecto apud Guicciardinũ lib. 3. pag. 36. abundè testantur. Ex quibus facilis est coniectura, quanta ex tam multis tam in doctrina, quàm exteriorũ differentijs, & nonnunquam in plerisq; hodie Ecclesijs contradictionibus, & opinionum inter se repugnantijs enascerentur mala; si hac de subscribendi formulis ratione, aditus omnes, & tot malorum occasiones non obstruerentur, & præcluderentur.* Neque aliundè natæ hæreses, *&c. si dextrè capiantur, & rectè intelligantur illa* Cipriani *: quibus hoc modo optimè obsisti-*

In Epistolis & Consilijs theologicis.

Hieronymus.

tur (si minùs penitus tollantur & extirpentur) iuxta illa magni Philippi oracula: Vt sit igitur discordiarum finis rectè facit potestas obligans homines vt obtemperent, quando alioqui parêre est necesse: Et alibi; Non vult Deus dissipationes fieri infinitas: quod fieret, nisi conuenirent Doctores, & statuerent vt vna doctrinę vox in quaq; Ecclesia audiatur. *Quinimo absq; hac, confusio illa linguarũ, & planè Babylonica palam omnibus obuersaretur (quod vtinam hodie tanquã meridianum Dæmonẽ non conspicarentur omnes) dum vix aliquid religionis commune, præter forsan paucula, eaq; nomine tenus de fide, pœnitentia, Christo, Deo, &c: inter nos ritè & eodem modo intelligatur: quemadmodũ Scaliger obseruauit de sacci nomine & vsu, quod vtiq; ob necessitatem post confusionẽ illam omnibus linguis cõmune idemq; dũtaxat remãsit. Atqui in alijs credo, vix optimus quiuis Nehemias distinguere potest, numquid Iudaicè, an iuxta Ashdod sapiant, & loquãtur: vnde insuper seruitus penè Ægyptiaca durissima illa quidẽ, licèt in Canaane maximo Dei beneficio cõmorantibus*

bus

bus nobis incūbit. Quia cùm doctrinalia, tum multò magis in diuinis celebrādis externos quosdā ritus et ceremonialia (vnde lateritia, nescio quæ) quiuis sibimet cōficit & construit, plures, per quasq; Britanniæ nostræ regiones (nescio quomodo) diffusi vndiq; conquirere dum permittuntur, coguntur. Tertiò, maxima huiusce necessitas potissimū inde apparet, quòd non alia ratione aliqua tam pia, iusta, sancta, affectus ἤθη καὶ ἐπιθυμήματα (vt Rhetores Græci appellant) omnium, de quibus magistratus inprimis sollicitos esse oportet, dignosci possunt & discerni, num Brownistæ, Papistæ, aut ex Sectariorum alia familia aliqua fuerint. Quæ vna (vt omnes norunt) eáque non minima subscriptionis nostræ adurgendæ causa & ratio (eáque proh dolor apprimè necessaria) quandoquidem nihilominus tot inter nos delitescunt, & passim oberrant (præter æquiuocantes e Schola Romana sophistas) omnis generis, nominis, & notæ hæretici. Et proinde non minùs necessitate hac constringuntur, & omni inde officio tenentur, inferiores omnes eidem tam sancto & salutari

 inuento,

inuento, & instituto à quocunque tandem, se subdere & submittere: vt Hugo de sanctò Victore, ad 5. Leuit. ver. 1. & alij doctissimi viri de iureiurando illo (quod ex officio vocatur) disputantes obseruârunt, & exposuerunt. Socrates (vt Stobæus memorat) sacramentum oblatum duabus de causis fide firmandum esse suadebat: vel vt teipsum à turpi suspicione liberes, vel vt amicos ex magnis periculis eripias. Quartò, scandala illa, quæ tanquam effecta pessima, à mala, & malorum pene omnium (varietate nimirum hac in sacris) causa oriuntur, per subscriptionem hanc obuertuntur, aut reprimuntur saltem: Inprimis verò sacrorum omniũ contemptus, & vniuersalis inde vniuersi Cleri neglectus, dum incerta alioqui, & varia, vel ab ima plebe obseruentur omnia: quæ vt amoliretur, Paulus disertè & data opera de Timotheo asserit, 2. ad Corin. 12. ver. 19. & de seipso simul contrarium; vtrumq; nimirum ijsdem vestigijs & eodem spiritu institisse, & rectà semper eademq; via profectos vendicat atq; allegat. Vnde è contra etiam tantoperè offendũtur, & in varias sententias distra-

distrahuntur populares (qui sensu magis quàm iudicio plærunq; ducuntur)vt dum ancipites astent, & penduli quidnam amplectantur, omnia sæpe reijciunt simul, aut in Schismaticorum(pro ingenio & optione libera)aliquorũ castra subitò transeunt. Quo demum nomine Romanenses, & quilibet inter gentiles religionis aut ceremoniarum magister (nostris plærunq; hac saltem in parte prudentiores) magnam sibi & suis semper famam & auctoritatem conciliârunt.

Ad obiectiones deuenio, vbi hæc breuiter præfabor, & præmittam: Primò, neutiquam requiri subscriptionem hanc quasi perfectis & vsquequaq; absolutis omnibus in doctrina fidei aut ceremoniarum constitutione, & vsu vbicunq; tandem longè fœlicissimo: quandoquidem in hac vita nusquam talia reperiri possunt; nedum in sanctissimis sanctissimorum precibus, aut officijs quibuscunq;: de quibus etiámnum (dum sacrorum solennia aliquando agimus) veniam & gratiam non semel petimus: sed illud modo, vt quid de publicis quilibet (melioris præsertim in quauis Ecclesia nota & nominis) senserit,

magi-

magiſtratus illi (quibus hæc cura demandatur, & neceſſariò incumbit) quamprimùm hac ratione intelligant. Neque liberum ſit alicui, aut vllo modo integrum, ſub ditione quacunq; commoranti, ſecus aliquid à doctrina & ceremonijs ſemel cõſtitutis (quoad illud fieri poſſit) vel ſentire: ſed nullo modo contrariũ tentare quicquam in concionibus ſcriptiſue publicis, aut verbo factóue profiteri. Quin vt vna ſemper doctrinæ vox, & vnicus ceremoniarum ordo & ratio in quaq; Eccleſia audiatur, habeatur, obſeruetur. Secundò, nihilominus æquum, & verbo Dei maximè conſentaneum eſſe, imperfectis hiſce vtcunq; ſemel conſtitutis ſuffragari & ſubſcribere, modò regulis fidei & morum (quas per doctrinam fidei cum Hieronymo, Auguſt. & alijs ab omnibus intelligi cupio) uti vulgò perhibentur, nequaquam repugnauerint, nec fundamentalium aliquod (quod aiunt) tollant aut imminuant. Quippe quæ illa ſunt, & optima, quæ ſingulares Eccleſiæ ſpiritu vtique & verbo (quibus nunquam carere dum Eccleſiæ fuerint, vt ſubiecicimus ab initio, debent aut poſſunt) pro

ſuo

ſuo quæq́ modulo actæ ſemper & informata excogitarunt & definiuerunt: vtpote quibus ſummus Deus rectè & ritè coli: nec minùs omnia pietatis, charitatis & æquitatis opera et officia tam in Eccleſia, quàm in repub. piè & commodè administrari poſſint. Adeoq́ præclarè actum cum rebus humanis vbicunque optimè & fœliciſſimè conſtitutis; ſi dum tanta caligine obſeſſa adhuc, & tot vndiq́ infirmitatibus circumſeſſa teneantur omnia, nec minùs tam vſu, quàm natura ſua varia, reciproca, & penè infinita indies reperiantur, & indidem ſemper alternantia, intra metas illas & cancellos fidei & morum concludi poſſunt & contineri.

Et quod obijcitur primò; neq́ pium neq́ iuſtum eſſe imperfectis, falſis, nedum impijs, & ſuperſtitione refertiſſimis, aut demum humanis aliquibus ſubſcribere: Reſpondetur primò, neque falſa, nec fabulas eſſe, multo minùs impia, quibus aſſenſus & approbatio, aut ſubſcriptio cuiuſquam hoc modo requiritur; ſiue tralationes & expoſitiones ſcripturarum, fidei noſtræ dogmata, Homilias demum, aut ceremoniarum aliquid ſpectemus. Quippe

quia

quia nihil in se continent, aut suadent, quod regulis fidei & honestæ vitæ quicquam aduersetur. Quod si illis ita videatur, vel propria opinione nixis, vel alijs quibuscunque fretis magistris; illud regero, non esse priuatorum quorumque de talibus iudicium facere; sed Ecclesiæ illius qualiscunque in qua viuitur (dummodo Ecclesia fuerit: cui adfuturum se spondet Christus in finem sæculorum) nedum Ecclesiæ alicui aliquid præscribere, aut in huiusmodi particularibus quicquam præiudicare. Quæ quidem talia nunquam verè censeri possunt, nisi erroris contra fidem, aut impietatis alicuius contra regulam morum, palam & apertè arguantur & conuincantur: quod adhuc nemo nostratiũ effecit, vel saltem tentauit, neque vicinæ Ecclesiæ (quibus id officij duntaxat incumbit) aliquid huiusmodi admonuerunt, vel animaduerterunt. Benè conscij nos eandem cum illis fidei confessionem & harmoniam in omnibus tenere & profiteri; qua benè posita, & fundamenti instar substrata, quicquid insuper iuxta eandem superstruatur ad ceremonias, disciplinam, agenda, credenda, legenda, aut

con-

controuersa quæcunq; definienda, &c. (vt supra in expositione præmisimus) pium & honestum iure censebitur; quandoquidem quod opinione verum, factu quoq; licitum euadet; vt August. lib. 4. de ciuitate cap. 4. Vbi benè creditur, non malè viuitur; & retrò, si malè creditur, non benè viuitur. *Nec demirari satis possum (& denuo repetere rei indignitas cogit, & causæ veritas monet) plures è nostris conformitatem in ceremonijs tantoperè recusantes, & criminantes; qui tamen in omnibus doctrinæ capitibus(quæ vtiq; de ceremonijs) & fidei articulis vnà nobiscum se conuenire & consentire non negant. Nec minùs probè tenentes (vicinas Ecclesias intelligo) grauissimum illud Melancthonis de rebus hisce iudicium: vbi à Lonero seueriore admodum charitatem & moderationem hoc modo requirit.* Nunquam poterit esse tranquillitas, nisi in ritibus dissimilibus *(de pluribus & diuersis Ecclesijs loquutus, veluti Anglicana et Gallica, & sicuti in Germania sub ordinibus & varijs principibus variæ distinguũtur)* addo etiam infirmitate aliqua dissimulanda, æquitatem aliquã adhibebimus.

In Consilijs Theologicis.

Mihi

Mihi crede multa etiam illi nobis condonant. *Secundò, imperfectum eſſe non negamus, quicquid humanum ſapit, nec minùs tamen illicitum aut incongruum eſſe eiſdem (licèt maiorem in modum imperfectis) ſubſcribere: quia nihil hîc contra Deum, aut verbi diuini ſummam & ſubſtantiam (vt ita loquar) vtcunque in ſcripturis dubius, multiplex, & nonnunquam plures & diuerſi ſenſus (qui tamen omnes in vna veritatis ſumma coincidant) afferri poſſunt. Nec minùs in decretis, & conſtitutionibus, addo & exhortationibus, & homilijs Eccleſiaſticis elaboratiſſimis quibuſcunque ignorantia, incogitantia, & infirmitas ſubrepant (quæ omnia ſuo modo velle Deus dicitur) eaq; nos tanquam perfecta agnoſcere & approbare omnia ſolemus, tanquam humana tamen, quæ regulis fidei & morum nihil contrarium docent, aut requirunt: neq; imperfecta non eſſe quis affirmare vrgetur; ſed nullo modo contra Deum, id eſt, contra Dei veritatem doctrina illa fidei & morum comprehenſam, aut voluntatem, hæc ita eſſe. Nec aliud obijci aut excipi poteſt contra nonnulla in Apocryphis*

phis nostris aut homilijs præscriptis & præstitutis, quàm quod audiri est, & obseruari in accuratissimis eorundem concionibus: quæ vt suos quæque habent næuos; sic & censuras admittant benè multas aliorum, & charitatem requirant, & implorent. Quod ad obiectiones illas contra versiones Scripturarum varias, & omnibus seculis mille modis imperfectas, & alia eius notæ omnia opponi potest.

Secundò, obijcitur tyrannicum esse, & verè Antichristianum, sic fidei aliquorum dominari, adeóque non aliud hoc sapere & moliri, quàm vt Papismus, vel Atheismus, aut alia quæuis hæreticorum dogmata inducantur, & admittantur. Resp. Nunquam vera Ecclesiæ partem aliquam hoc sibi sumpsisse aliquando, vt quicquam contra, aut præter verbum Dei, & regulas illas præscriptas statuant & decernant, quod vel minimo sub eorum ditione agenti credendum vel agendum obtrudant: Quin si Angelus hoc tentaret, Anathema sit, cum Paulo vnà conclamamus

vniuersi

vniuersi: multò magis vt liberum sit cuiquam talia reijcere, & sedem potiùs quàm minimam veritatē mutàre & relinquere. Sic tamen, vt in omnibus alijs, particularis cuiusq; Ecclesiæ vox & iudicium, in omnibus recipiendis, credendis, agendis regula sit & norma. Quæ responsio hisce nititur fundamentis. Primò, quia particularia sunt infinita, de quibus duntaxat in genere Scriptura cauit: vtpote quæ, etiam de Sacramentorum noui Testamenti administratione (quod ad ceremonias attinet & externa illa, quæ passim varia cernuntur) pauca vel nulla præscripsit: neque de omnibus hisce & similibus vllo modo potest. Secundò, quia Ecclesiæ auctoritas semper eadem, idem ius sacerdotij, & potestas clauium eadem omnibus locis & temporibus: nec minora iam sub Euangelio hæc, quàm olim ante legē, vel sub Mose, imò sub Christo ipso & Apostolis: si qualitatem & conditionem rei, non autem æqualitatem metiamur: quanquam largiùs quoque vltimis hisce temporibus spiritus effundatur, qui ad particularia hæc & externa omnia ordinanda, & administranda abundè sufficiat. Tertiò, obedientia

dientia hæc Ecclesiæ, & Ecclesiasticis sub imperitandi formula quacunq; positis & constitutis magistratibus, debita, eadem est & moralis (vt supra ostendimus) quam nemo mortalium detrectare audeat, dummodo (quod semper intelligi cupio) intra metas prædictas toties, & inculcatas, contineantur: sic enim loquitur Christus & à satis sanis omnibus creditur. Qui vos audit (*id est omnes idoneos ministros aliquid iuxta verbum decernentes & cõcludentes, præsertim autem potestate aliqua sub summis magistratibus munitos & instructos*) me audit. nota

Quod idem sibi iure vendicabat contra refractarios omnes mitissimus Moses, Numer. 16.*v.* 11. Contra Deum (*inquiens*) murmurationes vestræ: Moses enim & Aaron quid sumus? *Nec demũ Antichristiani quicquam priùs sapiet, quàm cùm humani aliquid præter, aut contra verbi diuini mentem scopúmue decernitur & obtruditur, qui prima ad Tim.* 1.*v.*4.*ponitur, & præscribitur. Tunc enim valent axiomata à Christo, Mat.*15.9. frustra &c. (*ex Isaiæ* 29.*v.*13.*desumptum illud) Et ab Apostolis Act.*4.*v.*18.*contra Iudæos posita:* nota vide in fine libri ad hanc notam

D Deo

Deo non homini *&c. qui nimirum ſpretis aut antiquatis mandatis meis (quod Mat.5. & 6. & hoc ipſo 15. cap. à Iudæis factitatum liquet) ſua doceant & obtrudant. Nec alio nomine à putidis Sophiſtarum omnium commentis, & *ineptis Pontificiorum decretalibus recedimus, & abhorremus.* **Ea tamen** *ſemper eſſe debet omnium de quaq; Eccleſia opinio & reuerẽtia, vt donec contra priora peccauerit, aut impegerit, ſeceſſionem nec tentemus, nec ſuadeamus.* Olim Eccleſiæ nimium, iam nihil. *Nec perſecutio (fidenter dicam) vel minima ſubeunda, niſi à poteſtatibus aliquid contra regulas illas prædictas, & ab Eccleſia fere omni & præpotente inprimis Deo præſcriptas, credendum faciendúmue obtrudatur & adurgeatur. Quale quid ſi euenerit aliquando, neq; in rectorijs & Eccleſijs ſuis (quod lubentes adhuc ambiunt) neq; in ipſo regno & politia noſtra (vt ſapientiſſimus Rex noſter quibuſdam haud ita pridem reſpondit) tutum eſſe conſcientijs eorum aliquandiu commorari. Ad tertiũ, quod obijcitur iniuſtũ eſſe, impium & crudele, quia ſcrupulos plures infirmorum conſcientijs inijcit, & homines adigit & vrget*

* Al. omnium.

facere multa & amplecti titubante ſaltem, ſi non reclamante conſcientia: præter ſcandala, quæ inde oriantur penè infinita: Reſp. Hæc omnia obiectabant olim Manichæi & Donatiſtæ, vt ex Auguſtini multis locis apparet: quibus tamen doctiſſimus ille pater, & cum eodem hodie omnes Orthodoxi, cogendos tales ad fidem & obedientiam, docuerunt, & determinârunt. Et ego breuiter ad ſenſum illorum (apud Iobum) terminos orbis terrarum, id eſt ſancta & ſalutaria Eccleſiæ decreta (nedum terram, id eſt eccleſiam ipſam) propter illos pauculos deſerēdos non eſſe aut relinquendos. Quanquam ſi operam darent, nec eſſent de eorum numero, quibus (vt Poeta) ſuaſeris licèt, nunquam perſuaſeris tamen, *nullo negotio ſcrupuli hi omnes conſcientijs eximerentur eorum, quos ignorantia tam ſupina & affectata excuſare non poteſt aut debet. Nec meliùs, ſi attenderent, conſcientijs horum tam infirmis & trepidantibus conſuli poteſt: quàm ſi quinto præcepto freti & innixi, diſputare deſiſterent, & parêre omnibus de rebus huiuſmodi magiſtratuum & Eccleſiæ mandatis non recuſarent. Hîc enim illud Auguſtini de gratia* Retractat. lib. 2. cap. 16. Epiſt. 104.

Dei vsurpatum optimè tenet & valet: Omnia si Deo committas securissimus eris: *Sic ego*, Huiusmodi omnia magistratuum fidei & conscientiis relinquas, si securus & tutus esse cupias.

Et quod ad Scandala: passiua esse vt plurimùm contendimus, quæ si forsan vergant in damnum plurium, aut totius Ecclesiæ detrimentum, magistratuum erit hic error, & iusta (si quæ sit) tam à Deo quàm hominibus reprehensio.

Tu interim, quicunque sis, facere debes, quod te decet, id est obtemperare in omnibus adiaphoris, dubijs, controuersis; in quibus (vt suprà respondimus) Ecclesiæ, in qua viuitur, iudicium apud omnes valere & præponderare debet. Quod etiam de polygamia patrum (quæ vtiq; doctrina fidei prima illius Ecclesiæ, vt cum Bucero & Melancthone de eadem sentire cogor) re sacramentaria, & multis in eadem vsq; in hunc diem controuersis, nec vno modo apud omnes Ecclesias hodie acceptis: Causis insuper matrimonialibus (de quibus pelagus quæstionum omnia in Theologia & vtroq; iure opplentium indies profunditur) prædestinatione, vniuersali gratia, & alijs huiusmodi

iusmodi bene multis, & pene infinitis variè à pluribus, quæ nunc florent, Ecclesijs intellectis & expositis, nec minùs tamen intra doctrinam fidei earundem (quam profitentur) receptis & approbatis, responsum volo. Quorum aliqua tamen priuatorum fortasse sunt, qui ibi vtcunq; degunt, variè inter se dissidentium placita: quos optandum esset, vt magistratus (quoad publica saltem omnia) in vnum ordinem cogerent & compellerent; nec paterentur tot inter se diuersa & repugnantia dogmata & volumina (quæ adinuicem regesta & retorta indies iturіunt) saltem de doctrina aliqua fidei, in publicum prodire, vtcunq; priuatim (quod indulgendum putauit Hieron.) quilibet frui & abundare poterit suo sensu. Alia autem inter næuos corporis cuiusq; Ecclesiæ cæteróquin benè compositi, et quoad temperiem intra latitudinem sanitatis de doctrina fidei hac (quæ veram Ecclesiam constituit semper & conseruat) habenda & numeranda censeo. E quibus insuper, si plura vel pauciora priuatis quibuspiam displicuerint, faciant (per me licet) quicquid priuatos decet; & si deformius aliquid, aut morbidum magis certò vel appa-

 rere

vere comperiatur, *Paphnutij quoque partes (modò vt Paphnutius) agant: quibus omni dubio procul vera quælibet ecclesia, in tam clara & per omnes orbis partes diffusa iam Euangelij luce, facilè cederet & obtẽperaret. Quòd si fuerit adhuc aliquis, cui hoc modo non satisfiat (vt nonnulli reperiantur, qui nihil non carpunt, nec in alicuius Ecclesiæ iudicio & auctoritate acquiescant) secedere potiùs tales oportet (& suaderem ego) quàm vt reclamante conscientia quicquam faciant; nedum vt tota Ecclesia (quæcunq́ tandem) aliquid de conformitate in omnibus, vel minimum remittat. Melius enim, & tutius semper deprehendetur, quod olim sanctus & sapiens ille prædixit, & præscripsit; vt* pereat vnus *(imò mille)* potiùs quàm vnitas, *aut commune illud pacis & benè informatæ cuiusq́ Politiæ vinculum lædatur quicquam, aut interrumpatur. Tertiò, quod obijcitur, non ita necessarium esse quicquid in subscriptione hac vrgetur, vtcunq́ pium forsitan & iustum: quin tutò omitti possit, vel toleratio saltem adhiberi: præsertim quoad ceremonias, quæ inter minutiora & planè nugas à nonnullis habentur: quandoquidẽ*

Cyprianus

Ecclesiæ

Ecclesiæ plures eadem diu caruerunt: necnon & Episcopi nonnulli priores, & qui adhuc etiámnum spirant, tanquam liberum quiddam, non autem necessarium duxerunt & vsurpârunt: Respon. Primò, necessitatem hanc quam vrgemus, non esse absolutam, sed ex hypothesi; nec tam ad esse simpliciter, quam benè esse cuiusq; Ecclesiæ necessariò requiri subscriptionem hanc: quandoquidem plures Ecclesiæ absq; illa vtcunq; perstiterunt (verùm non sine dissipationibus plærunq; publicis, & Ecclesiarũ præsidium *interpellationibus & molestijs penè infinitis) adeoq; tamen æq; necessariã esse subscriptionem hanc, ad fœlicem cuiusque Ecclesiæ administrationem contendimus, atq; proprias cuiusq; effectus procreantes causas & conseruantes. Et qui mysterijs hisce vel mediocriter initiati fuerint aliquando, et res politicas primoribus quasi labris salutârunt modò, breues & leuissimas, in re quaq; minutissima ad rempub. quamcunq; spectante, aberrationes maxima & longissima habere epiphonemata, vel habitura saltem dicere possunt, & prædicere. Secundò, respondeo quòd (iuxta vetus illud) tolerantur multa etiam in Ecclesia,*

quæ

quæ tolli, necnon & adhiberi aliquando deberent ab Ecclesiæ moderatoribus. Qui licèt (prout arcana sunt cuiusq; vel minimi imperij) non semper eodem gradu, sed eadem forsitan via incedere obseruabantur: illud tamen omnibus in confesso est (quod Magnus quidam de Bucero; dum Interimistis illis propitius admodum & omnibus semper benignus erat) hæc eius lenitas parùm illi profuit: *& hæc illorum vtinam alijs non obesset plurimùm. Tertiò, quicquid de ceremonijs garriant, & inter leuiora nugasq; reponant, seria tamen has nugas ducere, & plurimùm ad Ecclesiæ cuiusq; pacem facere, quiuis æquus rerum æstimator facilè perspiciet: & cùm imperita multitudine (quæ ægrè alioqui & difficulter in ordinem cogitur & continetur) plurimùm valere semper: & plærunq; magis, quàm doctrinam ipsam (vtpote quæ sensu trahitur magis, quàm ratione & iudicio inducitur) vt magnus obseruauit Lutherus.*

lenitas Buceri erga interimistas parum illi profuit

Libro de ceremonijs, & alibi sæpius.

FINIS.